

2.16.

*de vano ingeniorum conponum hominum habita pccia  
Dum diversitatem sui et climatis quod colunt. T. 166.*

II h  
25

Q. B. V.  
AD ANNA SACRA,  
MANIBVS

# RICHTERIANIS

CELEBRANDA,  
VIROS

x 2316426

MVNERVM, MERITORVM, AC SVAE  
VIRTVTIS GLORIA,  
EXCELLENTISSIMOS, AMPLISSI-  
MOS, FLORENTISSIMOS,

QVOTQVOT FREIBERGAM INCLYTISSIMAM,  
QVAM EA OCCASIONE, ORATIONE SVA;  
CHRISTIANVS GOTTLIEB EHRENHAVSEN,

CIVIS IN SPEM PATRIAE ADOLESCENS,  
QVANTVM FIERI POTERIT, LAVDABIT,  
CVRANT AC ORNANT,

IPSISQVE LITERIS FAVENT NOSTRIS,  
PRID. NON. MARTIARVM, A. R. S. cl<sup>o</sup> Iccc xxv.  
REVERENTER AC MODESTE  
CONVOCAT

M. SAM. MOLLERVS, G. R.

Literis CHRIST. MATTHÆI.






Inus ille faciat, qui sedulam fidelissimamque rerum bene gestarum, imo & ejus, quod virtus sibi meruit, decoris, custodem, Famam, in singulis modo curiosam esse personis, probaturus sit: longe ipsa majus, quam illud, onus sustinet; atque, cum diviniore cujusdam naturæ particeps facta esse videatur, per fines terrarum cunctos permeat, iisque ibi, quæ tam commendanda, quam vituperanda sunt, probe cognitis, velis latissime suis vecta, ultro citroque tendit, omniaque vero ac certo judicio enunciat. Velut enim unum equidem cælum omnes ambit, idemque alit solum, utriusque autem *ποιότης*, sive, secundum Ciceronem, qualitas non eadem est, ac neutrum, nec fructus, nec homines ipsos pari clementia præparat animatque: ita non minus ingenia, quam corpora ipsa, varium inde habitum induunt, atque per eundem, in diversissimis sæpe studiis, indolis suæ, quæ sic miris modis affici possit, instinctu occupantur. Non temere hæc dicta esse, Vitruvius, Architectus ille felicissimus, calculo suo, primum de corpore fatis, Libr. VI. c. I. comprobat. *Sol*, inquit, *quibus locis mediocriter profundit vapores, in his conservat corpora temperata: quæque proxime currendo deslagrat, eripit exsugendo temperaturam humoris. Contra vero refrigeratis regionibus, quod absunt a meridie longe, non exhauritur a caloribus humor, sed ex cælo roscidus aër, in corpora fundens humorem, efficit ampliores corporaturas, vocisque sonitus graviores. Ex eo quoque sub septentrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus, candidis coloribus, directo capillo & rufo, oculis castis, sanguine multo, quoniam ab humoris plenitudine, calique refrigerationibus sunt conformati. Qui autem sunt proximi ad axem meridianum, subjectique solis cursui, brevioribus corporibus, colore fusco, crispo capillo, oculis nigris, cruribus invalidis, sanguine exiguo, solis impetu perficiuntur.* Atque idem, qui de corpore tam graviter differuit, animum quoque cæli dispositione moveri porro annotat, de quo ita postea statuit: *Propter tenuitatem cæli, meridiana nationes, ex acuto fervore, mente expeditius celeriusque moventur ad consiliorum cogitationes: septentrionales autem gentes, infusa crassitudine cæli, propter obstantiam aëris, humore refrigerata, stupentes habent mentes.* Ubi igitur, tam ingenia, quam corpora ab istis comparentur causis, atque iisdem subjecta, regi sese patiantur: quid igitur miremur, si populi ipsi, naturæ suæ obsecuti, alii virtutibus, alique vitiis operentur, atque, secundum illa, Fama, actionibus istis probe perspectis, censuram vel remittat suam, vel etiam intendant? Alia scilicet, quædam sui persvasione, aut libidine, gens agitata, nobilitatis suæ se opinione ostentat magnificen-  
tius

tius, moresque ad severitatis morosæ legem compositos venditat: alia, liberioris animi, ad hilaritatem excitata, ista, quæ hominem deformare magis, quam ornare videantur, exempla spernit, atque omnem comitatem urbanitatemque induta, quosvis & allicit, & quos allexit, eadem arte sibi conjungit. Suæ quædam libertatis studiosissima, vel metuit, vel suspicatur, ubi nec metui, nec suspicioni sæpe locus sit: sed iis tamen tuta consiliis, id ipsum, quod amat unice, tuetur pariter atque confirmat: quædam vero, ad omnem abjectissimæ servitutis patientiam subacta, quantumque istud, quo alii gaudent, bonum sit, ignorans, ejus vel umbra quadam sese oblectat, sed læsa tamen, haud secus quandoque, ac mare commotum, æstuat, nec facilius compefcitur. Hæc, ad omnem doctrinam scientiamque acuta, ingeniorum lumen exferit, sui que apud externos, admirationem concitat: ista barbara feritate effrenis, immanes & artus, & spiritus objectat, istisque pacis artibus desitutata, bellis pascitur, eorundemque causas, si non læcessita sit, quæritat; vel ipsa læcessit, ut habeat; aut etiam, signa & arma inferendo, ea ultro dissidia movet, quæ mota facile, difficillime tandem, fuso utrinque sanguine multo, componuntur. Ibi quidem probitatis, modestiæ, simplicitatisque illius antiquæ aliquod exemplar videas: alibi crudeles, sanguinolenti, feroces, callidi, luxuriosi sese produnt animi: & velut tam perfecta & solida virtus nulla est, quin aliquid nonnunquam ex contrario admisceatur; ita nulla tam prava & vecors est natio, quæ non vel aliqua boni semina, quasi aliquod melioris famæ momentum obtinuerit, sed ita, ut ex eo, quod potius est, & maxime eminet, feratur iudicium. Non nova sequar, quo verbo absit invidia, paucaque illa filo autorum, quibus ea debentur, suppeditabo. *Ligures montani*, Cicero, in oratione contra Rullum, de Lege Agrar. §. 94. *duri*, inquit, *atque agrestes. Docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multa cultura, & magno labore questitum. Campani semper superbi bonitate agrorum, & fructum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia, atque omnium rerum affluentia primum illa nata sunt: arrogantia, que a Majoribus nostris alterum consulem postulavit: deinde ea luxuries, que ipsum Annibalem, armis etiam tum invictum, voluptate vicie. Ipsam Romam ita crevisse, & cæli solique id factum esse bonitate, Vitruvius ante allegatus ut confirmet, in eo totus est: Cum omnes, ait, nationes immoderatis mixtionibus disparata sint; placuit, ut inter spatia totius orbis terrarum regionumque medio mundi populus Romanus possideret fines. Namque semper atissimæ ad utramque partem corporum membrorum animorumque vigoribus pro fortitudine sunt in Italia gentes. Quæ vero si gloria nata*  
illis

21  
77  
25

illis sit præfidiis, mirari certe fubeat, qui factum, quod post eam Vitruvii ætate  
Romana quidem virtus non modo aliquantisper adhuc steterit, sed novis etiam  
accessionibus aucta, nixa sit altius, postea vero ita quasi præceps corruerit, ut tan-  
dem, amisso imperio, perditaque dignitate pariter ac majestate, urbis quoque  
ipsum tam infelicitè facies immutata videatur, ut novam hanc, antiquæ illius, vel  
radera, vel cadavera saltem referre putet Janus Vitalis Panormitanus? Itaque,  
si non cælum, nec terra, neque regiones ipsæ, quod fieri vix potuit, quoddam deli-  
quium passæ sint: aliam certe accessisse causam, quæ ista omnia effecerit, oportet.  
Scilicet, quamvis ex cælo facile, ac soli dispositione, aliquid hæreat, idque  
homines ipsos, quo nascendi conditione inclinant, eo maxime propellat: tamen  
hæc ita fieri necessario, ut immutari, quicquid salvum honestumque est, quodque  
huic oppositum, emendari nequeat, quis sibi persuaderi patiat? Sicut enim  
iidem cibi, pro condientium arte, alium atque alium saporem admittunt, atque  
nunc corrumpuntur, nunc efficacius stomacho commendantur: perinde ipsa  
tam educatio, quam consuetudo multum huc momenti conferunt: & quiddam  
natura negavit, id ipsum solers sæpe imitatio efficit, atque exercitatio. Barbara  
terra Italiam emunctioribus nostra quondam Germania, & visa, & dicta est: sed aut  
ego fallor magnopere; aut quicquid & Italia, & Græcia proprium perpetuum-  
que sibi se obtinere persuadebant, suo aquilonalis hæc regio sibi acquisivit stu-  
dio, atque aliis etiam, doctrinæ cupidis, candide impertitur. Quæ cæli sui bo-  
nitatem atque clementiam ad virtutes applicare debebat, Romanorum æmula,  
Carthago, ad vitia eandem colenda penitus convertit: quare, si quis hominem  
quondam ad fraudem omnem acutum dicere vellet, Pænus dictus est, eaque  
in proverbium ita fallendi consuetudo abiit, ut, Punica fide, pessima fide sit  
agere. Eodem ex fundamento Strabo Lib. II. Geogr. de diversa Græcorum,  
sub eodem fere climate degentium, indole sic statuit: ἡ φύσει Ἀθηναῖοι μὲν  
φιλόσοφοι, Λακεδαιμόνιοι δ' ἄρ' ἐκείνοι, καὶ οἱ ἐν ἑγγυτέρῳ, Θηβαῖοι, ἀλλὰ μᾶλλον  
ἔθει. ἕτως ἔδὲ Βαβυλώνιοι φύσει φιλόσοφοι, καὶ Αἰγυπτῆσι, ἀλλὰ καὶ  
Ἀσσησέσι, καὶ ἔθει. *Turcis*, quod Barclajus in Icone Anim. c. IX. bene ob-  
servavit, *sub Amuratbe in Europam Ligurum opere remigioque transjectis,*  
*ista Græcia, illud Musarum domicilium concessit in prædam: ipsi tamen*  
*dura indole eluctati humanitatem, in majorum feritate perseverant,*  
*prorsus ut intelligas, sub molli cælo immania ingenia esse posse.* Hæc de  
illis etiamnum fama non fallax refert: in votis autem hoc est, ut quæ dura &  
fera sunt, mansvescant, atque ad Dei voluntatem, honestique regu-  
lam, omnia ubique componantur.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

2.16.

*de vario ingeniorum conformationum habetur scilicet  
cum diversitate soli et climatis quod colunt. T. 166.*

II h  
25

Q. B. V.  
AD ANNA SACRA,  
MANIBVS  
**RICHTERIANIS**

x2316426

CELEBRANDA,  
VIROS  
MVNERVM, MERITORVM, AC SVAE  
VIRTVTIS GLORIA,  
EXCELLENTISSIMOS, AMPLISSI-  
MOS, FLORENTISSIMOS,  
QVOTQVOT FREIBERGAM INCLYTISSIMAM,  
QVAM EA OCCASIONE, ORATIONE SVA;  
CHRISTIANVS GOTTLIEB EHRENHAVSEN,  
CIVIS IN SPEM PATRIAE ADOLESCENS,  
QVANTVM FIERI POTERIT, LAVDABIT,  
CVRANT AC ORNANT,  
IPSIQVE LITERIS FAVENT NOSTRIS,  
PRID. NON. MARTIARVM, A. R. S. c1o 1000 xxxv.  
REVERENTER AC MODESTE  
CONVOCAT  
M. SAM. MOLLERVS, G. R.

Literis CHRIST. MATTHÆI.

